

**Dissertatio chirurgica de superfluis ex noxiis quibusdam in chirurgia ... /
[Johann Heinrich Schütte].**

Contributors

Schütte, Johann Heinrich, 1694-1774.
Heister, Lorenz, 1683-1758.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altorfii : Litteris Jod. Guil. Kohlesii, [1719]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jy2n5vxs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO CHIRVRGICA

DE

SVPERFLVIS

ET NOXIIS QVIBVSDAM

IN CHIRVRGIA

QVAM

FAVENTE DEO

SVB PRAESIDIO

VIRI

EXCELLENTISSIMI ATQVE EXPERIENTISSIMI

LAVRENTII HEISTERI

MED. DOCT. ANAT. CHIR. ET THEOR. PROF. PVBL.

COLLEG. CAES. NAT. CVRIOS. ET REGIAE BEROLIN.

SOCIET. COLLEGAE

SVIQVE ORDINIS H. T. DECANI

DIE XXII APRILIS MDCCXVIII

IN ORDINE CIRCVLARI

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBMITTET ET DEFENDET

A V T O R

O. HENRICVS SCHÜTTEVS

SVSATO - GVESTPHALVS.

ALTORFII

LITTERIS IOD. GVIL. KOHLESH ACAD. TYPOGR.

VIRO

PRAENOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

DIEDERICO DVMEO

CIVITATIS ISERLOHNIENSIVM

CONSVLI OPTIME MERITO

IAM VERO

PROPTER SENIVM SVMMVM EMERITO

TEMPLORVM ANTISTITI GRAVISSIMO

SENI PLVRIMVM COLENDO

FAMILIAE ORNAMENTO

FAVTO RI ET COGNATO

OMNI HONORIS AMORISQVE CVLTV

PROSEQVENDO

DISSERTATIONEM HANC

CONSECRAT

AVTOR

IOANNES HENRICVS SCHVTTEVS

SVSATENSIS.

L. B. S.

TRitum atq; vulgare Docentium Disputantiumque axioma est : SUPERFLVA NON NOCENT; quod in multis preclare a viris doctis usurpatur : quare ex illo in omnibus vite partibus, nempe Sacris, Publicis, Privatis, Forensibus Domesticisque in rebus, aut si nobiscum quid agimus, vel cum aliis contrahimus, illa egregia obtinetur sententia. Vulgus etiam nostratum hac ipsa, tanquam lege, utitur, quando ita loquitur : Es ist besser zu viel / als zu wenig : Ueberfluß schadet nicht : Man kan des Guten nicht zu viel thun : Wir wollen das noch zum Ueberfluß thun : &c.

Contrarium vero in chirurgia evenire, paucis exemplis, ratione & experientia comprobatis, ostendam : ea quidem methodo, ut primum supervacanea recenseam, deinde vero causas originemve eorum ex his eliciam. Miraberis forsitan, Lector candide, me iuvenem de tam ardua, tamque odiosa materia scripsisse. Scias autem velim, mihi non animum esse, Momi Zoilive instar, bonorum magnorumq; virorum opera inimico dente rodendi,

sed imperitorum improborumque solum chirurgorum ignorantiam & fraudes detegendi: quae, pro dolor! tales sunt, ut magno cum aegrotantium damno in corpus & crumenam redundent. Ex quibus denique factum est, ut vulgus a quolibet chirurgo tanquam carnifice & iudeo abhorreat, imo hos libentius admittat, quam chirurgum. Sic periti, docti atque probi chirurgi, quod dolendum! odio habentur, male distinguente & iudicante vulgus. Casus duos adhuc memoria teneo, ubi saucia mori mallebant, quam chirurgo se subiicerent. Primus, spreto chirurgo eiusque auxilio, animam efflavit; alter a sacerdotibus & cognatis vix dum coactus, vinculisque ligatus, operationem passus, evasit, inque hunc diem (quantum novi) vivit. His aliisque casibus commotus, de supervacaneis & noxiis in chirurgia damnisque inchoortis scripsi. Omnia quidem in una dissertatione recenseri non possunt, potiora tamen attingam quam brevissime poterò, ne, de superfluis agens, ipse supervacanea verba dicam, fusiorque sim & in illud incidam: Turpe est doctori, cui culpa redarguit ipsum. Faxit DEVS, ut, quod suscipio, eveniat feliciter!

ΣΥΝ ΤΩΙ ΘΕΩΙ.

§. I.

DE *superfluis & noxiis vel inutilibus in chirurgia* iam acturus, hoc præcipue monendum esse puto, me non legitimum usum, sed abusum rerum chirurgicarum; neque necessaria, sed revera *supervacanea* aut *inutilia*, reprobare.

§. II.

Omitto consulto *supervacaneorum*, *noxiorum* aut *inutilium* definitionem & etymologiam, cum certo sciam, neminem esse, qui *supervacui*, *noxii* atque *inutilis* significationem ignoret: quare inoffenso pede ad rem ipsam progredior.

§. III.

Exordiar ab INSTRUMENTIS, & primo a *cauteriis*: quorum copia tanta est, ut apud *Albucasin Lib. I. Meth. Medendi XXX* numeres: quorum non solum pars *supervacanea*, sed etiam valde inepta est ad operationes chirurgicas exercendas. Hunc numerum *Paræus Lib. XVIII* maiorem reddidit, & *XXXIX* figuris expressit: quem vero multum minuit *Io. Andr. a Cruce, in officina sua chirurgica*, qui tamen & ipse multa incongrua nobis offert, suo tempore atque ætate selectissima. *Gabriel Ferrara X*, & *Sculetus Tab. I & XIX Armamentarii XVII* commendant. *Sonngen Tab. XI* edit. Amstelod. *XXXIV* figuris expressit. *Wienus in egregio de Cauteriis tractatu*, alique alia profert. Ex quibus omnibus pauca ad omnes operationes sufficere possunt, si modo ad subiecta & casus di-

versos figuræ atque magnitudinis debita proportio habeatur. Sic etiam maxime supervacaneum esse censeo, quod veteres, & qui illos adhuc sequuntur, *cauteria* quædam ex auro argenteo confecerint: quæ tamen parum aut nihil efficacius operantur. Contrarium potius de ferro asseverare licebit, quod ad cauteria optimum sit, dum maiori vi, virtute sua adstringente, in corpora agere potest. Ceterum de cauteriis videantur *Marc. Aurel. Severinus de efficaci medicina*, & *Io. Costeus, de igneis medicina præsidis*, lib. II. & alii.

§. IV.

Sequuntur iam *scalpræ rasoria*: horum numerum *Albucasis Lib. II* ad XL extendit, ex quibus *Io. Andr. a Cruce l. c.* selectum fecit, aliaque addidit, & tantum XIII laudat. *Sculdetus* vero *l. c.* VIII. His adiicio *terebras* & *trepana* quamplurima, apud *Io. Andr. a Cruce* reperiunda, nullius fere usus, & adplicatu incongrua: cum tamen pluribus uno alterove haud indigeamus: præsertim quia in urbibus longe rarius trepanatio instituitur, quam in castris. Huc etiam refero *hamulos* sive *uncos*, quorum XVI *Albucasis l. c.*, *Andr. a Cruce* XIV, commendant: ex quibus I, II vel summum III seligi possunt.

§. V.

Sed cistas, armaria repositoriave chirurgorum diligentius perquirens, magnum invenio superfluum atque inutilium instrumentorum numerum, quæ omnia si severe excutere vellem, dissertatio mea nimis fieret prolixa: quapropter sufficiat paucis solum hic indicare, *specula* uteri, ani, auris, oculi, orisque, tantæ non esse utilitatis, ut quidam perhibent, eorumque usum rarissimum esse. Ita de *ferris* tam variæ figuræ & magnitudinis

dinis, itemque de *cultris*, *cultellis*, *cannulis*, *catheteribus*, *siphonibus*, *cucurbitulis*, tam corneis, quam vitreis, orichalceis & argenteis, variæ figuræ; *rostris* corvinis, gruinis, psittacinis, anaticis, olorinis, lacertinis; *glandiumque ilicibus*, *annulis constrictoriis*, *circinis* &c. idem summatim esset pronuntiandum, dum paucissima ex his sufficere possunt. Quibus adsociari possunt tot *forcipes* & *forfices* diversæ magnitudinis & figuræ; tam variæ *acus*, ad *cataractam* deponendam deprimendamve; tot *syringotomi* diversi, tot *forcipes* ad urenda, scindenda & perforanda fetacea, tam diversæ *machina* ad reponenda membra fracta, luxatave; quarum permultæ apud *Oribasium*, *Paræum*, *Scultetum* aliosque videri possunt; tot diversa *elevatoria* ad cranii fracturas; tam varii *scalpelli* ad venas secandas pertundendasve; tot *machina* ad dentes evellendos, glandesque plumbeas extrahendas, multaque alia eiusdem generis instrumenta.

§. VI.

Progredior iam ad FASCIAS, in quibus conficiendis & adplicandis nonnulli tam scrupulosi sunt, ut aliam fasciam ad pollicem manus, alteram ad pedis, aliam ad digitum medium, aliamque ad auricularem, requirant, sibi que præparent. Speciatim vero in capitis fasciis quidam ita excedunt, ut septuaginta & plures pro eo descripserint atque delineaverint: cum tamen paucissimæ sufficere possint. Vid. *Galenus* de Fasciis, *Solingen*, aliique. Omitto iam alias partes. Quanta sit *fasciarum* ad reprimendas coercendasq; hernias copia? dicere haud potero: cum quilibet chirurgus & circumforaneus novam sibi fingat, suamque præ omnibus laudet, & tanquam maximum arcanum venditet. Hac occasione mihi in memoriam redit, quod ante paucos annos in Saxonia circumforaneus

neus quidam celebris fasciam suam conficiendi artificium pro XII thaleris mihi tradere voluerit : qui cum illis talem mercaturam faciebat , ut ægroto nondum viso & absenti fascias suas venderet,

§. VII.

Huc etiam merito refero *lorum ex corio humano* paratum , quod in partu difficili & scrofulis summum levamen adferre quidam perhibent. Idem etiam alia præstare lora , ex animalibus confecta , experientia iam docuit : eandemque vim habent fasciæ vulgares ex linteo abdomini circumvolutæ. Hæc omnia non alio modo, quam stringendo atq; coarctando abdomen agere, inter omnes recentiores, haud superstitiosos, constat. Nam presso abdomine, premitur uterus; presso utero, urgetur fœtus, qui, molestiarum impatiens, diligentius exitum quærit, & hoc modo citius a partu liberatur parturiens. Nulla vis pellens in loro humano, a pellione ex calce & aqua deprompto paratoque, inveniri poterit, nisi concesserim, quod parturientis horror & ab isto loro abominatio, indeque enata alteratio, in spiritus agat, sanguinisque motum & partum acceleret. Haud secus etiam fieri autumno, quando *lapidem Aëtitem* femori alligant : ubi partim imaginatio, partim etiam femoris constrictio, operantur : ut plurimum tamen sine successu optato : quia femoris compressio non tantam vim utero infert, quam ipsius abdominis. An vero *magnes*, secundum *Helmontium de magnet. vulnerum curatione p. m. 706. §. 18.* partum procuret, abortumque præcaveat? res est, quæ experientiæ repugnat.

§. VIII.

A fasciarum varietatibus, earumque viribus falso ipsis attributis &c. progressum facio ad *lintheaminum* & *ligaturarum colores*: ubi non minor conscientiae scrupulus in multorum imperitorum chirurgorum animis hæret, quemnam colorem eligant? *Colorem nigrum* in serico emplastri apoplectici necessario requiri, inde probare conantur, quia apoplexiam sæpissime mors sequitur: mortem vero nigram esse sibi imaginantur. Accedit etiam, quod mortuos nigra veste lugeamus: ergo bombycinum sive sericum nigrum esse debet. *Rubrum* vero colorem emplastro, cordis scrobiculo imponendo, ex illa ratione convenire putant, quia cor sanguinem rubicundum fundit recipitque. Eandem forte ob rationem in sistenda hæmorrhagia artus *filo rubro sericeo* ligant: atque ante venæ sectionem *ligamento rubro* venas constringunt.

§. VIII.

Non minori diligentia *figura* observantur, quæ tam diversæ sunt, quantum inter se differunt imperitorum & superstitiosorum ingenia. In sacculo sive emplastro cordis regioni imponendo, *figura cordis* desideratur: quæ ita variat, prout quisque sibi cordis figuram imaginatur: (nam multi sunt in tonstrinis, qui corporis anatomem nunquam videre) quorum primus cordis figuram oblongam scindit ad manus & ultra longitudinem: alter brevem & parvam; alius magnam & gibbosam. Nulla tamen figura monstrosior, atque adspectu iucundior est, quam illa, quæ ventriculo imponitur. Cordis figuram facilius tanquam acu tangere possunt, quia quotidie cordis imaginem vident pictam. Stomachum figurâ rotunda, oblonga, semilunari, pyriformi, quadrata &c. imitantur. Nihil refert, qualis etiam sit figura.

§. X.

Venio ad *turundas* : quarum usus subinde egregius est in sistendis hæmorrhagiis vulnerum, peregrinis e corpore eliminandis, pure aliisque materiis nocivis absorbendis, & vulneribus aperte servandis. Contra vero abusus corpora nostra vehementer lædit. Exemplo sint sclopetorum vulnera, quibus post tertium diem turundæ magis nocent, quam profunt. Impediunt enim rerum peregrinarum egressum, puris sanguinisque extravasati exitum: quibus fit, ut peregrina illa irritent vulnera atque pungant, materia collecta & stagnans magis corrumpatur, vulnusque rodat, sicque ampliorem cavitationem vulnerum faciat: ex quibus fistulæ, ulcera cacœthica, aliaque mala originem ducunt. Prætereo vulnera colli & faciei: in quibus turundæ plane rejiciuntur, quia cicatrices post se relinquunt valde deformes. Accedit etiam, quod nervos pungant, dolores sæpe vehemētissimos aliave symptomata excitent. Fusius de *turundis* legi possunt *Hippocrates* noster, Medicorum parens, *C. Celsus*, *Fabricius ab Aquapendente*, *Magatus*, *Belleste*, & Excellentissimus IO. IAC. BAIERVS, Patronus studiorumque meorum Promotor & Hospes omni observantia colendus

§. XI.

Pergo ad **MEDICAMENTA** *supervacanea*: quorum numerus immensus est, nomina portentosa sunt, compositiones ineptæ & diffusæ. Numerus adeo amplius existit, ut fere quilibet chirurgus sua arcana jactet, & quævis pharmacopœa sua singularia ostendat. Ad nomina vero *portensa* quod attinet, ex multis pauca tantum proferam: v. gr. *unguentum Apostolorum*, quod ea ratione hoc nomen obtinuit, quia XII ingredientibus, excepto oleo constat. *Unguentum aureum & regium Mes.* nomen a colore

lore

lore aureo habet; regium vero, quia reges aurum plurimum possident, vel ob egregiam suam vim atque efficaciam. *Emplastrum de Gratia Dei, Emplastr. Manus Dei D. le Mort, Emplastr. Divinum, Emplastr. Miraculosum: Ceratum gratia Dei, Ceratum sacrum Galeni sive Diadictamnium.* Nonnullæ compositiones diversas ingeniorum imaginatio- numque varietates haud obscure ostendunt. Proferam saltem tria potiora specimina, nempe *oleum vulpinum, Ceratum ex pelle arietina Arnoldi de Villa nova, & Unguentum anserinum Sennerti.*

§. XII.

Oleum vulpinum ex integra vulpe coquitur: *confer. Pharmac. Augustana.* *Ceratum ex pelle arietina Arnoldi de Villa nova* etiam ex integra pelle arietina coquitur ad lentorem usque, filtratur & inspissatur, cui reliquæ species lege artis admiscentur. Quæ, qualis & quanta vis medica atque efficacia ex his iam dictis medicamentis præ aliis speranda sit? aliorum sit iudicium. *Unguentum anserinum Sennerti* duobus modis paratur, nempe: & Anserem veterem & pinguem, suffocetur, deplumetur & exenteretur: exenterato immitte ceræ flavæ, butyri ovilli &c. &c. consuatur, veruque affigatur & assetur. Liquor exstillatus usui fervetur. In altero præparandi modo suadet, ut caryophyllis undique configatur anser, vino albo abluatur, & foliis salviæ rorisque marini &c. infarciatur. *Confer. eiusdem Lib. 1 Medicina præct.* Sed (salva tanti experientissimique Practici autoritate) consultius atque utilius fore puto, anserem eiusmodi pinguem, undique caryophyllis confixum, pro Martiniano amicis & familiaribus ad comedendum apponere. Nam adeps ille, qui inter assandum exstillat (concedente me virtutem specificam in adipe anserino) post assationem spe-

ciebus suis admisceri, superque ignem cum illis ebullire potest: nisi quis vim occultam (quod tamen Sennertus non fecit) in ipso anseri latere statuatur.

§. XIII.

Dari adhuc multos huius generis opinionibus occupatos, sequenti exemplo probabo. Biennium est & quod excurrit, cum studiosus quidam generosus diceret, se arcanum quoddam efficacissimum certissimumque contra phthisin possidere, quod usu & experientia ita comprobatum sit, ut tanquam præstantissimum remedium a familiæ suæ Capitibus sanctissime servetur. Pruriebant mihi aures, crescebat sciendi cupiditas, rogabam, ut mecum illud comunicaret, omnia officiorum genera ipsi promittens. Renuerat: instabam urgebamq; fortius, respondebat: se hoc arcanum a beato Parente paulo ante eius obitum accepisse, & pietatem erga Beatum iubere, ut nemini revelet. Regerebam, eum pietatem erga Parentem non violare; sed potius multorum miserorum mala postea per me tolli posse. Dixit: *Generosum arcanum est, familia nostra dignum: mecum vivet, mecum morietur* Silebam hac vice, quoties autem eum conveniebam, de arcano illo mihi sermo erat. Tandem precibus fatigatus verum arcani præparandi modum tradidit. Mortuo iam generoso iuvene, compositionem illam, ut & aliis innotescat, publici iuris facere licebit, quæ sequens est:

℞. Tres passeres vivos, viventesque depluma & aquarum tepida lava, vivosq; in alembico claude quibus adde \forall rectificatiss. thiis .

cinamom. cubeb. cordamom. ãã . zj .

pulmonem vulpis dimidium

butyr. Majal. zj . M. destil. Δ ne lento

per XII horas.

Obse

Observandum, ut cito & diligentissime vitrorum iuncturæ claudantur, ne animæ passerum avolent, omnisque virtus abeat. Adhibendi modus est sequens: Aperiat iunctura cultro, non tota, sed ex parte solum, cui æger nasum statim imponat, ut animæ ad cerebrum penetrent, illudque roborent. Deinde aperiat alembicus, & spiritus in recipiente destillatus quotidie ternempe: mane post somnum, ante prandium, & post cœnam misero a xxx ad xxxv guttas propinetur in cochleari syrupo violarum repleto. Virtutem huius spiritus tantam esse affirmabat, daß wann die Lunge schon halb verfaulet sey / müsse sie doch wieder wachsen. Hæc hæctenus obiter.

§. XIII.

Oportunum autem est, ut de *superfluum apparatus* in pharmaceuticis compositionibus pauca proferam. Exempli loco primum se offert *Balsam. Equit. S. Crucis*, quod CIV speciebus constat: confer. *Lemry Pharmac. p. m. 646. 647.* Alterum esto *Vnguentum Marciati*, vulgo *marciator*, ex LX ingredientibus compositum: tertium sit *Vnguentum stomachale Franc. de Sale*, quod L species habet sibi dicatas: quartum erit *Oleum scorpionum magnum Matthioli*, quod XXXIII requirit; *Emplastrum Opodeltoch Mindereri* vero XXXII. An illa medicamenta ex tanta rerum copia composita, efficaciora sint aliis? prudentiores facile cipient. Quid enim tam parva tamque refracta variarum rerum dosis operari poterit?

§. XV.

Ceterum non laudabo angustum nimis quorundam imperitorum chirurgorum promptuarium, quod

sequenti vulgarique carmine horum practitorum medicamina enumerat:

Harz / Wachs / Bech und Terpenthin

Ist der Feldscherer (sub quo nomine chirurgi intelliguntur)
Medicin.

Quales cicatrices faciei, qualia damna aliis partibus hæc inferant? toto die videre licet, ita, ut verbis non opus sit multis, ubi rerum testimonia adsunt.

§. XVI.

Neque vero etiam vitio carent chirurgorum quorundam *Unguenta & Emplastra universalia*, quæ ad omnia accommodata sunt. Hinc imperiti illi dicunt: Ich habe ein besonder Pflaster / das alles heilet: es mag sich jemand verbrannt haben oder gefallen seyn / vom tollen Hunde gebissen / oder vom Pferde geschmissen / gehauen oder gestochen seyn. &c. Novi etiam chirurgum, qui ob vires universales emplastro suo adscriptas, illud *Pamphilium suum* appellet. Vox prodit artificem! ex fructu vel successu infelici cognoscetis eum. Hæc hæctenus de *medicamentis in genere* loco speciminis dicta sunt.

§. XVII.

Superest, ut de quibusdam *in specie* pauca dicam quorum usus vel nullus, &, ut vulgo dicunt, pro forma tantum est; vel noxius potius, quam utilis. Inter *inutilia nulliusque usus medicamenta* refero *Emplastra*, quæ in *luxatione ossis femoris ex acetabulo*, adhibentur: cum inter omnes peritos constet, emplastrum tale, qualecunque etiam sit, tam magnum atque ponderosum os in situ suo minime retinere posse. Nec majorem effectum in *fractura ossis femoris* ex emplastro sperare poterò: quum non capiam, quomodo emplastrum per tam multo

tam

tamque validos musculos in os vim suam exerere possit. Contra vero eorum noxam indicant molestissimi pruritus & inflammationes ibi sæpe contingentes, ab obstructione pororum cutis orti. Excipio fracturas maxillæ inferioris aliorumve ossium cuti vicinorum.

§. XVIII.

Moxam illam *Sinensium* iure meritoque in superfluo-
rum numero habendam esse existimo. Exploratum enim
habeo, tam a curiosis, quam experientissimis Practicis,
nullam peculiarem vim specificam in illa *moxa* latere,
sed ustione potius in partem affectam agere. Accedit,
quod *Artemisia* eiusque lanugo alba *vera moxa* materia fit,
quod Illustr. GEORG. WOLFFGANG. WEDELIVS, Fautor & Præ-
ceptor omni amore & observantia post mortem etiam
colendus, in *Ephemerid. Acad. Nat. Curiosor. Decur. II. Ann. I.*
p. 14. usque 19. sub inscriptione *Moxa Germanica*, & *Andr.*
Gleyerus, *Decur. II. Ann. IV. pag. 1. & 2.* satis docuerunt.
Operæ itaque precium non est, ad externos inque alte-
rum orbem excurrere, quum in muris nostris quotan-
nis crescat, & quod in proverbio dicere solemus: *Ire*
per ambages, cum sint compendia, stultum est.

§. XVIII.

Necesse etiam est de medicamentis non solum *su-*
ervacaneis, sed & *valde noxiis*, brevissime loqui. In faul-
to accessu *sternutatoria* in cranii depressione miseris plerum-
que propinari, experientia & consideratio cerebri ana-
tomica satis superque docent. In depressione enim cra-
nii cerebrum ita premitur, ut vel totus, vel ex parte spi-
rituum motus impediatur, miser mortuo similis, vel
to quasi somno sepultus, iaceat. *Sternutatoriorum* vero
in cerebrum vehementer exagitur atque concutitur,
magis-

magisque adhuc læditur : quibus fit , ut omnes spirituum motus sensusque intercipientur , & anima ex domicilio suo egredi cogatur.

§. XX.

Maius sæpe damnum, quam auxilium ex *fumo cinabaris* in resolvendis scirrhis ægri capiunt. *Fumus ille cinabaris* salivationem scirrhis , experientia teste , damnosam elicit , & pulmonibus haustus , illos ad phthisin facile disponit. *Corrosiva* scirrhis applicata cancrum generare , multi iam aliorum damno experti sunt & didicere. *Medicamenta* etiam *externa* , præcipue resolventia aut emollientia , aut quocunque modo irritantia , in occulto cancro magis nocent, quam profunt. Cancrum enim, omni studio atque opera sopiendum , excitant magis atque irritant, sicque malum peius reddunt.

§. XXI.

Oleosorum & *pinguium* damna sæpe numero in ægroantium corpora redundant : quod in Erysipelate ante triennium iuveni Generosissimo accidisse novi , id quod tandem causa mortis fuit. *Pinguis* enim & *oleosa* cutis poros obstruere atque obturare , sicque transpirationem , in Erysipelate summe necessariam , interciperi, nemo negabit. Neque parvum detrimentum *oleosa* & *pinguis* ossibus, tendinibus nervisque adferunt. Illa ossa cariota , vulneraque tendinum aut nervorum peiora reddere , utinam tonsoribus & lippis notum esset. Excipe olea aromatica & balsamica , ut oleum caryophyllorum aliaque similia , de quibus plura in *Chirurgia* sua Excellentissimus Dominus *Præses*.

§. XXII.

In hæmorrhagiis vulnerum vasorum majorum , præsertim arteriæ cruralis aut brachialis , a non paucis chirurgis adhuc hodie *ferra candentia* adhiberi solent : quæ quidem

quidem ut plurimum hæmorrhagias sistunt, si rite applicentur; verum post unum alterumve diem eschara, ab urentibus instrumentis facta, plerumque rursus decidit, novaque hæmorrhagia præter ægroti & chirurgi opinionem oritur, qua non pauci diem summum obiere. Hinc prudentiores chirurgi eis nunquam fidunt; sed potius ligatura convenienti vasa hæc claudunt. Nonnulli hæmorrhagias vulnerum *fortissimis escharoticis*, ut *lapide caustico, infernali, mercurio sublimato*, aliisve similibus compescere student: sed præterquam, quod idem inde metuendum, quod a cauteriis, dolores vehementes, & præsertim in partibus nervosis, convulsiones ipsas, easque sæpe lethales, producant; ideoque noxiis medicamentis in talibus casibus merito accensentur.

§. XXIII.

OPERATIONES *supervacaneæ & perniciosæ* jam ordine sequuntur, ad quas merito refero *suturas* illas, quæ cum *bacillis, pennis, annulis elasticis aliisque ferramentis* fiunt. Quibus adjungenda sunt varia suendi genera & modi, de quibus fusius egit Gallus *de la Vauguion* dictus, in *Tract. de operat. chirurg.* Tab. VIII. IX, X, IX & XII.

§. XXIII.

Alterum superfluum nocivum in operationibus est illa *præter necessitatem repetita vulnerum, fracturarum & luxationum tractatio vel deligatio*, quæ tam perniciosa est, ut non solum curationem non promoveat, ut vulgus credit, sed potius eam impediat irritamque faciat, & sæpissime dolores vehementissimos, aliquando vero convulsiones & hæmorrhagias excitet, vulnerumque oras iam fere coalitas, effringat, ossa fracta vel luxata, in situm multo labore & ægroti dolore reposita, iterum disjungat: quod exemplis uberius demonstrare haud

erit difficile. Quid enim magis naturæ contrariatur, eiusque intentionem intercipit, quam *quotidiana labrorum leporinorum deligatio & inspectio*? quum tamen secundum experientissimorum experientiam ante quartum vel tertium diem aperiri non debeant, nisi singulare symptoma hoc urgeat. Idem etiam sentiendum de *reiterata & frequentiori vulnerum abdominis deligatione*, quæ primum ante tertium diem, quod Excellentissimus Dn. Præses in *chirurgia sua* p. 76. §. 10. docuit, non solvenda; post hanc vero die secundo, ut eo melius oræ vulneris concrefant. Eandem methodum in *Aneurismatis aperti, amputati brachii, pedis, femorisve deligatione* sequendum esse, haud sine ratione suadeo. Non tamen in omnibus vulneribus hæc rarior tractatio promiscue commendatur, neque omni tempore: nam tempore æstivo, imprimis canicula ardente, quia facile putrida fiunt, aut vermiculi in eis generantur, quotidianam desiderant deligationem. Ceterum de omnibus vulneribus in universum observandum est, quod *quotidie ter repetita deligatio, & in illa tam frequens aeris admissio, magis noceat, quam profit*: nisi forte sit casus valde singularis aut desperatus. Fusius vero de vulneribus raro tractandis legi merentur *Cæsaris Magati & Io. Baptiste Magati de hac materia Libri*.

§. XXV.

Luxationum ligatura ante 6. vel 7. diem quoque non solvendæ, nisi dolores a nimia constrictione fasciarum, pruritus & inflammatio solutionem urgeant, *Conferat. Dissertat. sub Præsidio ILL. Friderici Hoffmanni, medicinæ rationalis instauratoris felicissimi, De luxationum synthesi in genere, a Io. Godofr. Brühlmann Halæ 1703 habita, Capite V. §. XXII.* Huc etiam referenda *toties cancri repetita deligatio* perniciosissima, quæ hoc exitiosum pestiferumque

que malum magis suscitatur atque irritatur, miserosque infeliciores reddit. Hæc de *vulnerum, luxationum fracturarumque deligationibus præter necessitatem repetitis* dixisse sufficiant.

§. XXVI.

Ad damnosa superflua, quæ in curandis vulneribus observantur, pertinet quoque *puris & materiae e vulneribus nimis sollicita expurgatio sive abstersio*. Peradoxon hoc dictum esse nonnulli existimabunt, quod tamen, si rem accuratius paullo contemplantur, in omnibus fere vulneribus multum nocere, facile deprehendamus. Dum enim materia purulenta nimis scrupulose expurgatur vel detergitur, tritu illo atque frictione, nova, mollissima & recens nata caro abstersitur & destruitur. Sic natura in suo opere impeditur curatioque retardatur.

§. XXVII.

Magnum detrimentum & sæpissime mortem ipsam experiuntur ægroti, quando *trepanatio* in casibus ab alto, ictibus, contusionibusque capitis quibuscunque mox, aut minus cito, ut nonnulli solent, suscipitur. Plurimi enim casus, ictus vel contusiones leviores sunt, & operatione tali periculosa atque ancipiti non indigent, multoque tutiori sæpe methodo hoc malum medicamentis discutientibus ac resolventibus abigi potuisset. Quia etiam periculosa & incertissima operatio est, omnia tentanda sunt primum, quæ tentari possunt, antequam ad hanc operationem progrediamur. Nam paucissimi, qui hanc operationem sustinuerunt evadunt, sed plerique moriuntur. Huic periculo adjuncta est loci, in quo sanguis stagnat incerta cognitio, ita, ut aliquando bis ter vel sæpius trepanetur, donec locus stagnantis extravasatique sanguinis inveniatur. Sanguis enim, si sub bre-

gmate sinistro, vel in occipite latet, nihil iuvabit trepanatio in bregmate dextro instituta trepanatio, & sic vice versa. In infantibus junioribus crani depressio *Emplastro Hildani* sæpe elevari potest, teste tam probatissimo Autore, *Confer. eius Centur. II. Obs. V.* cui tamen *Ioh. Van Horne & ILLVSTR.* iam vero *Beatus IO. BOHNIUS*, dum in vivis effect Fautor plurimum etiam post cineres colendus, cuius ossa bene quiescant, *in officio medici duplici Part. I. p. 508.* minime adprobant, ejusque usum negant: *Conferatur quoque eiusdem BOHNI Diss. de trepanationis difficultatibus.*

§. XXVIII

Exitiosa etiam sæpe est nimis *festinata Embryonum ex utero materno per instrumenta eductio*: ubi non raro factum, quod infans talis ægrotus vel in partu debilis, lassus, fatigatusque, pro mortuo habitus, crudelissimo modo dilaniatus sit: qualia infanticidia adhuc sæpe numero committuntur: cum tamen agili aptaque manuum applicatione, conveniente foetus in utero volutione & artificiosa ex eodem extractione, vivi sæpe educi conservarique potuissent.

§. XXIX.

Procreationem sobolis, hominumque societatem minuit *in herosiarum curatione suscepta castratio*: quæ, quamvis hodie non amplius tam frequens sit, quam olim, tamen aliquando adhuc ab improbis imperitisque chirurgis, imprimis vero circumforaneis & circulatoribus, & quidem sæpe præter omnem necessitatem, perniciosissimo consilio exercetur, atque instituitur. Notabile vidi exemplum: cum circumforaneus quidam, (qui iam vita excessit) novem vel undecim (si recte memini) testi-

testiculos virorum à se exsectos hominibus monstraret, illisque de suis peractis operationibus, quasi re bene gesta, gloriaretur. Quidam amicorum suorum eosdem testes adhuc servat. Narrabat etiam idem circumforaneus, se canem magnum habuisse, qui ita edoctus fuerat, ut in operatione hero suo semper sic adstiterit, testiculumque resectum tam accurate ore exceperit, deglutieritque, ut nemo adstantium id sentire vel percipere potuerit. Quoties vero ab ægro vel adstantibus interrogatus, ubinam testiculus deficiens? respondit, se cum intestino prolapso testem in abdomen reposuisse, ut eo melius in posterum intestini prolapsus impediatur. Duo quoque exempla castrationis in hernia narrat ILL. BOHNIVS l. c. p. 521. 522. quæ Lipsiæ contigere. Plurimas hernias sine sectione & sola fascia herniali: omnes vere sine castratione, si sarcocelen excipias, curari posse, peritis res non adeo est ignota. De testium sphacelo hic sermo quoque non est: cum per se constet, quod *immedicabile vulnus, vel membrum ense recidendum sit, ne pars sincera trabatur.*

§. XXX.

A partibus virorum, generationi dicatis, regredior ad *infantem iam recens natum*: qui rudis obstetricis sæ vitiam, brevi post partum, sæpe patitur. Ligato enim umbilico, immanis obstetrix infantis os aperit, & *indicis digitum lingue lingua frenulum dirumpit*: ex quo eiulatus & dolores vehementes, nonnunquam convulsiones & maiora symptomata nascuntur. Consuetudo hæc obstetricum inde suam originem traxit: quia viderunt, sæpe infantibus linguæ frenulum a chirurgo solutum esse, quod loquelam sermonemque impedierat: quare, ne hoc in posterum fiat, frenulam statim rumpere volunt: existimantes, neminem loqui posse, cui frenulum non solu-

tum fit : cum tamen inter decem millia infantum, vix uni solutio frenuli sit necessaria.

§ XXXI.

Quam delorosa sit nonnullorum chirurgorum *Ganglii curatio* ? illis, qui dolores tulerunt, loqui licet. Quidam pugno, ut von *Meekren*, alii ligno latiori & plano, ganglion ita percutiunt, ut æger manum vix sentiat: alii mox malleo ligneo verberant, id quod etiam *Helvetius* suadet. Cum aliis & multo tolerabilioribus modis, medicamentis in principio, frictionibus & pressionibus lenioribus sæpe tolli potuissent.

§. XXXII.

In *secandis venis* quidam circuli sanguinis ignorantiam manifeste satis produnt, quando *venam bis ligant*: infra nempe & supra sectionis locum: ex quibus videmus eos circulationem sanguinis, ligandi modum ipsamque venæ sectionem ignorare. Quare etiam accidit, ut, ligata vena infra vidualum inflicium, sanguis non fluat: causam vero cur hoc fiat, dicere non possunt; sed putant, ob lentorem vel inopiam, sanguinis motum tardiozem fieri.

§. XXXIII.

Quotidie etiam fere accidit, quod *dentes omnes dolentes*, sive integri sint, sive erosi & carioli a chirurgis extrahantur, miserisque persuadeant, dolores a putrido dente semper oriri; qui, si tolli debeant, necessario extrahendum esset. Exemplum tale in conjuge civis Erfurtensis vidi quæ fere singulo anno unum vel alterum dentem suam chirurgi sibi evelli curaverat, donec tandem IV anteriore tantum superessent; reliqui vero omnes deficiebant. Notiffi

mum vero est, sæpissime dentium dolores a catarrhis ortum duxisse, & medicamentis, doloribus eorumque causis adaptatis convenientibusque curatos esse, & quotidie adhuc curari. Quapropter dentium sanorum sive integrorum extractionem non instituendam esse censeo: præsertim quia sæpe periculosa sequuntur symptomata. **Tantum de SUPERFLVIS CHIRVGORVM.**

§. XXXIII.

Restant **CAUSAE** *superfluorum* iam inquirendæ, unde nempe istæ lacrymæ, oculive rubri? vel unde nam ista mala? quas paucis peruestigare conabor. *Supervacaneorum* causas varias esse existimo: quarum *prima* forte est *Medicina & Chirurgia separatio*. HIPPOCRATEM, GALENUM, AVICENNAM, ALBVCASIN, AEGINETTAM, AETIVM AMIDENVM, CORN. CELSVM, ORIBASIVM, VESALIVM, FALLOPIVM, SEVERINVM, FABRICIOS, aliosque multos, medicos & chirurgos simul fuisse, illorum historiæ & scripta satis ostendunt. Separationis vero medicinæ & chirurgiæ occasio fuit magnorum Practicorum cumulatus labor, magnusque ægrotorum numerus, qui tantus sæpe erat, ut omnes ægrotos uno die visitare, iisdemque debitam opem ferre non potuissent, nisi alios in subsidium adscivissent. Ob quam causam sibi ministros adiungebant, qui manuales operas, & præsertim deligationes vulnerum, ulcerum, fracturarum, luxationumque semel inceptas continuabant. Hi servi tandem audaciores facti, operationes ipsas in se suscipiebant; tandem vero medicorum sive dominorum directorio plane se subtrahebant, & peculiare artis genus formabant: qui vero, quoniam solida scientia erant destituti, varia absona & incongrua in artem

tem hanc nobilissimam introduxerunt: de quibus plura
Bohnius loc. cit. p. 480. 481.

§. XXXV.

Altera causa, est chirurgiæ tyronum *breve nimis discendi tempus*, quod ut plurimum triennium haud excedit: quo tempore, præsertim, quia in plerisque tonstrinis paucas operationes vident, atque debito modo non informantur, sed plerumque barbæ tantum cura ipsis committitur, artem hanc addiscere rite non possunt. Interea tamen, quando triennium præterit, so heißt es / er hat ausgelernt / und versteht oft alsdenn noch nicht den Anfang. Quibus accedit, quod tyrones illi, quando tonstrinam intrant, sæpe vix duodecimum ætatis annum superaverint. Quantum vero hinc hac ætate capere possint, vel quale iudicium in tanta scientia habeant? quisque facile perspiciet; illud enim, quod Maioribus in proverbio erat: *Verstand kommt nicht vor Jahren* / adhuc verum esse, toto die conspicimus. His coniungenda est *magistrorum in docendo partim inscitia*, qui sæpe ipsi artem, quam profitentur, ignorant; partim *invidia*, tanquam causa *tertia*: metuunt enim plerique magistri aliquando a tyronibus suis praxeos detrimentum, & hinc debito modo eos non instruunt. *Quartam* esse existimo *anatomes & virium medicamentorum ignorantiam*, quæ ex §. 11, 12, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 29 & 32 colligi possunt. Ceterum ILL. HEVCHERVS, Poloniarum Regis Archiater, multa damna & noxas, ex anatomes ignorantia in chirurgia oriundas, notavit, quas in *dissert. de Chirurgo insonte*, a §. 1 ad 10 fusius tradidit: Chirurgus enim in anatome hospite nihil inconvenientius, nihilque periculosius.

§. XXXVI.

Quintam constituit causam *eruditionis atque peritiæ in chirurgia persuasio* : dum vel recordantur , se peritos in chirurgia magistros felicesque habuisse, quare, se eosdem esse sibi persuadent ; vel dum aliam vanam ob rationem falso credunt, se multum scire , & tamen parum vel nihil sciunt. Multum etiam in felicem manum ponunt, dum dicunt : *mea manus tam felix est , quam alterius* : male distinguentes inter manum felicem & peritiam veram chirurgicam. Quidam imperiti chirurgi medico se doctiores putant, &, quæ ab ipso præcipiuntur , suspensio naso attendunt , putantes , neminem chirurgiæ notitiam habere posse, nisi qui in illorum tonstrinis versatus fuerit : cum tamen ibi minime sit locus multa discendi. *Sexta* causa erit *superstitio* , in §. 7 , 8 & 9 commemorata : qua multa inutilia & noxia in totam Medicinam irrepererunt. *Septima* sit *festinatio nimia in casibus arduis & dubiis* , §. 27 & 28. *Octava* causa esse poterit *huius sæculi status & vivendi ratio* : qua ab idiotis aut malevolis vitio sæpe vertitur medico, quando Lithotomiam, Embryulciam & alias operationes chirurgicas suscipit. *Nona* erit *Magistratus Medicorumque & præsertim Physicorum urbium ordinariorum conniventia* : dum empiricis facultatem chirurgiam exercendi permittunt : unde non nisi inepta in chirurgiam introduci solent. *Decima* vero est chirurgorum *ostentatio* , peregrino vocabulo, *charlataneria* dicta, quæ tum magno instrumentorum, præsertim inutilium apparatu, cum medicamentorum nimia copia & varietate committitur, ea inprimis de causa, ut spectatoribus rei que chirurgicæ ignaris, ac si peritissimi essent, persuadeant, maiusque inde lucrum capiant. Imo non pauci *nova instrumenta*, eaque præter necessi-

tatem, *excogitare satagunt*: eum potissimum in finem, ut, se aliquid novi invenisse, gloriari queant. Huc pertinet ea ostentatio, quando nonnulli (id quod chirurgi castrenses quidam sæpe facere consueverunt) gloriantur, se hoc vel illo anno *tot pedes totque brachia amputasse*; sed quonam successu, sive qua de causa, sæpe ipsi ignorant. Sub eodem titulo etiam comprehendi potest *certi arcani præstantissimi venditatio*: quod tamen, si rite consideratur, nihil minus est, quam arcanum.

§. XXXVII.

Sequitur denique *causa undecima*, nempe *avaritia*: quæ in plurimorum chirurgorum animis totius chirurgiæ omniumque operationum præcipuus finis est: cuius exempla in §. 6, 24, 25, 27, 29 & 33 commemoravi. Tot enim vulnerum præter necessitatem deligationes, herniotomiæ, castrationes, dentiumque dolentium non carioforum extractiones, præcipue propter pecuniam fiunt; quia operationes multo maiori pecuniæ summa solvuntur, quam medicamentorum applicationes. Simile exemplum Excellentissimus Præses, Fautor omni observantia colendus, in *Chirurgia sua* p. 15 narrat de herniotomo quodam, qui herniam in puero, hic Altorfii, sectione curandam, susceperat, atque etiam clam secuerat: cum tamen fascia herniali facile curari potuisset; qui etiam ab illo interrogatus, lucri causa se hoc fecisse, confessus est: pro fascia enim vel ligamento, respondit, vix ultra imperialem solvi a vulgo; sed pro sectione decem & plures. Denique in vulnerum ulcerumque curatione sæpe avaritiam produnt, dum sanationem studio impediunt: quando eis, iam iam consolidandis suppurantia, vel caustica imponunt, aut partem læsam irritant, ut curatio prolongetur: quod etiam *Eckardus in seinem verwegenen Chirurgo* p. 86 sequentibus testatur verbis:

Die Chirurgi, wann sie sehen / daß die Patienten an ihrem Schaden besser werden / sehen den Schaden an zu reißen / umb die Cur zu verlängern / damit sie mehr verdienen. Quæ malitia ita invaluit, ut vulgus eam iam cognoverit, eademque *Eckardi* verba iis sæpe exprobret; quod vero Chirurgi honesti omni studio evitare solent, & in curationibus ita progrediuntur, sicuti viros bonos piosque decet, atque conscientia Christiana requirit.

DVm Chirurgorum quæcunque superflua
taxas,

Et remove doces omne supervacuum,
Sic medicam Temet didicisse fideliter Artem,
Purgatumque Tuum hinc enitet ingenium.


*Benevolæ gratulationis causa
f.*

IO. IAC. BAIERVS, D.
& Prof. Med. Primarius.

Nobilis hic artis, *SCHVTTENE*, superflua monstras;
Noscitur ingenium, quale sit, inde Tuum.

Benevolæ gratulationis ergo
posuit

PRAESES.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
540 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
TEL: 773-936-3300
WWW.CHICAGO.EDU

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
540 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
TEL: 773-936-3300
WWW.CHICAGO.EDU

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
540 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
TEL: 773-936-3300
WWW.CHICAGO.EDU

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
540 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
TEL: 773-936-3300
WWW.CHICAGO.EDU

